

A-31-162

R. 13. 425
S. mi D. N. D. ALEXANDRI DIVINA PROVIDENTIA
PAPÆ VII.


Innovatio Constitutionum, & Decretorum in favorem sententiaæ afferentis, animam Beatæ Mariæ Virginis in sui creatione, & in corpus infusione à peccato originali præservatam fuisse, editorum.



ALEXANDER PAPA VII. ad perpetuam rei memoriam.

Sollicitudo omnium Ecclesiarum, quam, licet meritis & vi-
ribus longè impares, Dei Optimi Maximi voluntate, & pro-
videntia gerimus, inid Nos anxie tenet intentos, & vigi-
lantes, ut scandala, quæ inter fideles pro humanæ naturæ
corruptione & fragilitate necesse est ut veniant, quantum
fieri potest paucissimæ exoriantur, utque exorta quām ce-
lerrimè, & quām diligentissimè amoveantur: nam ijs per
quos veniunt certam peccati perniciem, quibus veò prä-
bentur presens ferunt labendi periculum; quorum Nos pro nostro pastoralis
officij debito, & damnum summopere dolemus, & discriminè assidue virimur.
Sancte, VETVS EST, Christi fideliū erga eius Beatissimam Matrem Virginem
Mariam pietas, sentientium, eius animam IN PRIMO INSTANTI CREA-
TIONIS. ATQUE INFVSIONIS IN CORPVIS fuisse speciali Dei gratia
& privilegio, intuitu meritorum Iesu Christi eius filij, humani generis Re-
demptoris, à macula peccati originalis PRAESE RVATAM IMMVNFM, at-
que IN HOC SENSV eius Conceptionis festivitatē solemnī ritu colentū,
& celebrantū; crevitque horum numerus, atque huiusmodi cultus post editas à fel. rec. Sixto PP. IV. prædecessore nostro in eius commendationem Apo-
stolicas Constitutiones, quas sacrum Concilium Tridentinum innovavit, ac-
que observari mandavit. Aucta rursus, & propagata fuit pietas hæc, & cultus cri-

ga



ga Déiparam post erecta hoc nomine , approbantibus Romanis Pontifici-
bus, religiosum Ordinem, & Confraternitates , ac concessas ab ijsdem indul-
gentias, ita et a cedentibus quoque plerisque celebrioribus Academis ad hanc
sententiam, iam fere omnes Catholicci eam complectantur. Et quia ex occasio-
ne contraria assertio nis in concionibus, lectionibus, conclusionibus, & actibus
publicis, quod nempe eadem Beatisima Virgo Maria fuerit concepta cum pec-
cato originali, oriebantur in populo Chrishiano cum magna offensâ, scandi-
ala, iurgia, & diffensiones, rec. mem. Paulus PP. V. etiam prædecessor noster
veruit horum opinionem præfata sententia contrariam publicè doceri , aut
prædicari. Quan prohibitionem pia mem. Gregorius PP. XV. similiter præde-
cessor noster ad privata etiam colloquia extendit; mandans insuper in favorem
eiusdem sententiae, ut in sacro sancto Missæ sacrificio, ac divino officio celebran-
dis tam publice, quam in privatum, non alio quam Conceptionis nomine vti qui-
cumque debeant. Nihilominus, prout venerabiles fratres Episcopi ferè omnes
Hispaniarum cum Ecclesiarum suarum Capitulis datis ad Nos litteris expo-
suerunt, accedentiam insinuatione CHARISSIMI IN CHRISTO FILII
NOSTRI PHILIPPI EARVNDEM HISPANIARVM REGIS Catholici,
qui specialem super hoc misit ad Nos Oratorem VENERABILEM FRA-
TREM LVIDOVICVM EPISCOPVM PLACENTINVM, per quem etiam
delatae fuerunt ad Nos supplications Regnum earundem Hispaniarum,
pergunt aliqui contraria illius opinionis assertores contra præfatas prohibi-
tiones tun privatum, tun publice præfata sententiam, aut impugnare , aut
vellicare, & favorem a Romanis Pontificibus cultui , & festo secundum illam
præstitum ita interpretari, vt frustrentur, imò Ecclesiam Romanam huic senten-
tiae, & cultui iuxta illam Beate Virginis exhibito favere negant, pios Christi
fideles è sua pacifica quasi possessione deturbare conando, unde offensiones, scâ-
dala, & iurgia, quibus obviare voluerunt Paulus V. & Gregorius XV. nostri præ-
decessores perdurant adhuc, & ex occasione eorumdem adversantium maiora
his incommodis in posterum prudenter, & meritò timentur. Quapropter super
histam præfati Episcopi cum Ecclesiarum suarum Capitulis, quam memoratus
Philippus Rex, eiusque Regna Nobis pro opportuno remedio instanti suppli-
caris fecerunt. Nos considerantes quod Sancta Romana Ecclesia de intemerata,
semper Virginis Mariae Conceptione festum solemnitatem celebrat, & specia-
le, ac propriam super hoc officium a olim ordinavit iuxta pianum, deuotam, &
laudabilem institutionem, que a Sixto IV. prædecessore nostro tunc emanavit; vo-
lentesque laudabilis huic pietati , ET DEVOTIONI , ET FESTO , AC
CVLTV SECUNDVM ILLAM EXHIBITO in Ecclesia Romana post ip-
sius cultus institutionem NVMQVAM IMMVTATO , Romanorum Pontifici-
cum prædecessorum nostrorum exemplo favere, necnon tueri pietatem , &
devotionem hanc colendi & celebrandi Beatissimam Virginem, PRÆVENIENTE
SCILICET SPIRITVS SANCTI GRATIA, A PECCATO ORI-
GINALI PRÆSERVATAM, cupientisque in Christi grege vnitatem spiri-
tus in vinculo pacis, sed etiam offensionibus, & iurgiis, amotisque scandalis, con-
servare: ad prefatorum Episcoporum cum Ecclesiarum suarum Capitulis, ac
Philippi Regis, eiusque Regnum oblatam Nobis instantiam, ac precies, Con-
stitutiones, & Decreta a Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris, & præ-
cipue a Sixto IV. Paulo V. & Gregorio XV. edita in favorem sententiae afferen-
tis, animam Beatæ Mariæ Virginis IN SVI CREATIONE ET IN COR-
PVS INFUSIONE SPIRITVS SANCTI GRATIA DONATAM, ET A
PECCATO ORIGINALI PRÆSERVATAM FVISSE, necnon & in fa-
vorem festi, & cultus Conceptionis eiusdem Virginis Deiparae SECUNDVM
PIAM ISTAM SENTENTIAM, VT PRÆFERTVR, exhibiti, innova-
mus,

mus, & sub censuris, & poenis in eisdem Constitutionibus contentis observari mandamus. Et insuper omnes, & singulos, qui praefatas Constitutiones, seu Decreta ita pergent interpretari, ut favorem per illas DICTAE SENTENTIAE, ET FESTO, SEV CVLTVI SECUNDVM ILLAM EXHIBITO frustrentur, vel qui hanc eadem sententiam, festum, seu cultum in disputacionem revocare, aut contra ea quoquo modo directe, vel indirecete, aut sub quovis pretextu, etiam defiaibilitatis eius examinanda, sive facram Scripturam, aut Sanctos Patres, sive Doctores gloriosi, vel interpretandi, denique alio quovis praetextu, seu occasione, scripto, seu voce, loqui, concionari, tractare, disputare; contra ea quicquam determinando, aut afferendo, vel argumenta contra ea afferendo, & insoluta relinquendo, aut alio quovis excogitabili modo differendo, ausifuerint, praeter poenas, & censuras in Constitutionibus Sixti. IV. contentas, quibus illos subiacere volumus, & per praesentes subiiciimus, etiam cencionandi, publicè legendi, seu docendi, & interpretandi facultate, ac voce activa, & passiva in quicunque electionibus eo ipso absque alia declaratione privatos esse volumus, neconon ad concionandum, publicè legendum, docendum, & interpretandum perpetuae inhabilitatis poenas ipso facto incurre absque alia declaratione; à quibus poenis non nisi à Nobis ipsis, vel à successoribus nostris Romanis Pontificibus absolvi, aut super ijs dispersi possint: neconon eisdent alijs poenis nostro, & eorumdem Romanorum Pontificum successorum nostrorum arbitrio infligendis pariter subiacere volumus, prout subiiciimus per praesentes, innovantes Pauli V. & Gregorij XV. superiorius memoratas Constitutiones, sive Decreta. AC LIBROS in quibus praefata sententia, festum, seu cultus secundum illam in dubium revocatur, aut contra ea quomodo cumque, ut supra, aliquid scribitur, aut legitur, seu locutiones, contiones, tractatus, & disputationes contra eadem continentur, post Pauli V. supra laudatum Decretum edita, aut in posterum quomodolibet edenda, prohibitus, sub poenis, & censuris in Indice librorum prohibitorum contentis, & ipso facto absque alia declaratione pro expressè prohibitis haberi volumus, & mandamus. Veramus autem Sixti IV. Constitutionibus inharentes, quempiam afferere, quod propter hoc contrariam opinionem tenentes, videlicet gloriosam Virginem Mariam cum originali peccato fuisse conceptam, haeresis crimen, aut mortale peccatum incurant, cùm à Romana Ecclesia, & ab Apostolica Sede nondum fuerit hoc de eisum prout Nos nunc minimè decidere volumus, aut intendimus: quin potius contrariam illam opinionem haeresis, aut peccati mortalitatis, aut impietas damnare audentes, præter poenas, quibus eos subiecit Sextus IV. aliquje prædecessores nostri Romani Pontifices, grayoribus alijs poenis subiiciimus, quas in cōtradicientes huic nostra Constitutioni superiorius influximus. Volentes quod contra huius nostra Constitutionis transgressores, etiam regulares cuiusvis Ordinis, & Instituti, ETIAM Societatis Iesu, & quomodolibet exemptos, & alias qualcumque Ecclesiasticas, & seculares personas cuiuscumque status, gradus, ordinis, aut dignitatis tam Ecclesiasticæ, quam secularis, ut præfertur, tam Episcopi, & Prælati superiores, aliisque locoru Ordinariorum, quam haereticæ pravitatis, & bi que locorum deputati Inquisidores procedant, & inquirent, atque in eos strictè animadvertiscant: Nos enim ijs, & eorum cuiilibet contra eosdem transgressores procedendi, & inquirendi, ac poenis coercendi, & puniendi liberam facultatem, & auctoritatem ijsdem auctoritate, & tenore tribuimus, & impartimur, eosque, ut præfertur, procedere, inquirere, & punire districtè præcipimus, & mandamus. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus, ac quibusvis indultis, & litteris Apostolicis quibusvis personis quantumcumque qualificatis, & in quacumque, etiam Cardinalatus, Patriarchali, Archiepiscopali, Episcopali, & quavis alia dignitate, & honore constitutis, etiam quod contra eos procedi, in-

terdici, suspendi, vel excommunicari nequeat quomodolibet concessis. Quibus omnibus, & eorum singulis, etiam si pro sufficienti illorum derogatione de eis, ipsorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per generales, etiam id importantes, clasulis, mentione habenda, aut alia exquisita forma observanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum inserti forent, presentibus pro sufficienter expressis, & insertis habentes, harum serie specialiter, & expressè derogamus, ceterisque contrarijs quibuscumque. Vt autem haec nostra Constitutio, & præmissa omnia ad eorum omnium, quorum interest notitiam congruentius pervenire possint, in virtute sancte obedientie, & sub poena privationis ab ingressu Ecclesie eo ipso incurrienda praecipimus, & mandamus omnibus, & singulis locorum Ordinariis, ac eorum Vicariis, Suffraganeis, & Officialibus quibuscumque, & alijs singulis, ad quos quomodolibet spectat, & pertinet, quatenus huiusmodi nostram Constitutionem singuli sua Dicecisis, vel districtus prædictoribus, & alijs, quibus expedire iudicaverint, opportunè insinuent, & publicent, ac insinuari, & publicari faciant, ne quis in posterum quoquo modo ignorantiam de præmissis possit pretenderet, aut se contra præmissa valeat excusare. Volumus, & similiter eadem auctoritate decernimus & mandamus, quod presentes litteræ per aliquos ex nostris Curforibus in Basilicarum Sancti Joannis Lateranensis, ac Principis Apostolorum, & Chancellarie Apostolicae valuis, ac in acie Campi Floræ de Urbe de more publicentur, & affigantur; quæ affixio & publicatio ita omnes & singulos, ad quos spectet, afficiat, & ercit, ac si illis personaliter intimata fuissent; & quod illarum transumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarii subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constituta munitis eadem prouersus fides adhibeat, quæ presentibus litteris adhibetur si ostensæ, vel exhibetæ forent. Dat. Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die viij. Decembris M.DC.LXI. Pontificatus nostri anno septimo.

S. Vgolinus.

Anno millesimo sexcentesimo sexagesimo primo, indictione 13. die vero 11. mensis Decembris, Pontificatus Sanctiss. in Christo Patris, & D.N.D. Alexandri Divina Providentia Papæ Septimi, anno septimo, suprascriptæ litteræ affixa, & publicata fuerunt in Basilicarum S. Io. Lateranensis, & Principis Apostolorum de Urbe, ac Chancellarie Apostolicae valuis, & in acie Campi Floræ, ut moris est, per me Andræam Castruccium prælibati Sanctiss. D.N.PP. Curs.

Pro D.Mag.Curf.Petrus Paulus Desiderius Curs.

ROMÆ, Ex Typographia Rev. Cameræ Apostolicæ.
M.DC.LXI.